



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 50. Nicolai Vignerii exitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

solerter digestorum collectionem Francisco Fratri suo pariter Cancellario reliquerat, dato negotio, ut eam publici juris fieri curaret. Præterea Pithæus Catalogum omnium Præfulum civitatis Trecentis, pluraque alia vel cum aliis antiquis Codicibus collata, vel notis illustrata edidit, inter quæ præcipue recensendus venit liber Fæbadii contra Arianos, Salviani de vero iudicio, Nicephori Chronologia, Historiæ miscellanæ a Paulo Aquilejensi Diacono collectæ, & a Landulpho auctæ, pluresque alii veteres ejusmodi Auctores ab eodem Pithæo illustrati: scripsit etiam historiam controversiæ veteris de processione Spiritus sancti, necnon collectionem Mosaicarum, & Romanarum legum, præter plurima alia varii argumenti opuscula.

§. L.

Nicolai Vignerii exitus.

Plures equidem Scriptores ex Protestantibus hoc anno decesserunt, hi tamen aut minoris sunt auctoritatis, aut inter Auctores ecclesiasticos nullum sibi locum vendicant: nihilominus Nicolaus Vignerius ob suam historiam ecclesiasticam, quam ejus filii Nicolaus, & Joannes post ipsius obitum ediderant, huc referri meretur. Erat is anno a
Christi

Sæcul. XVI.
A.C. 1596.

Thu. p. 771.

Sæcul. XVI. A.C. 1596. Christi Nativitate millesimo quingentesimo trigesimo Barrii Burgundiæ oppido ad Sequanam in Campania nec tenuis fortunæ, nec obscuri generis Parentibus natus, patrisque sui, qui regium agebat Advocatum, cura, ac sollicitudine variis disciplinis imbuebatur: postquam vero in Galliis civilia bella exardescere cœperant, ac Regis edicto in Calvinistas suæ sectæ pertinaciter inhærentes varia supplicia decernebantur, ipse etiam Vignerius amissa potissima bonorum suorum parte Regno excedere, ac in variis Germaniæ Principum aulis aliquamdiu artem medicam profiteri cogebatur: inde vero in Franciam Parisios reversus ab ipso Rege inter Archiatros connumeratus est, cumque præter Philosophiæ studium præcipuam haberet Historiæ cognitionem, eapropter honorificis stipendiis Franciæ Historiam concinnare iussus, secundis Musis opus Chronologicum edidit, in quo a mundi exordio rerum, temporumque ratione ad exactum calculum revocata Regnorum initia, conversionem, genuinas populorum, & familiarum origines admirabili iudicio digessit: nihilominus huic viro cetera laudatissimo id vitio datur, quod non sine veritatis, debitæque submissionis dispendio nonnunquam acrius in Ecclesiam,

fiam, fummosque Pontifices pro more hæreticorum investus fuerit. Tandem Sæcul XVI.
A. C. 1596.
Parisiis anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, ætatis vero suæ sexagesimo sexto obiit, atque inter præcipua ingenii sui monumenta posteris reliquit. I. Fastos Antiquorum Hebræorum, Græcorum, & Romanorum. II. Librum de regia Capetorum familia. III. Sermonem de Nobilitate. IV. Historiam de Lucemburgensi domo. V. Summarium Historiæ Francicæ, præter alia quædam opuscula Historica.

§. LI.

Joannis Bodini interitus.

Præfati Vignerii obitum paulopost sequebatur decensus Joannis Bodini, qui Andegavi natus, percurso studiorum curriculo in Carmelitarum cœnobio, ut fertur, vitam religiosam professus est; ast immaturæ ætatis vitium caussatus, ac Religionis voto solutus Tolosam venit, ubi linquarum studio, ceterisque literis, ac præcipue jurisprudentiæ sedulam navans operam in Foro Parisiensi Advocatum agebat: contentiosæ tamen hujus militiæ pertæsus elucubrandis libris totum sese dicabat, atque primo Commentarium in Oppianum de venatione, dein anno salutis nostræ

*Teiffier ad-
dit. Tom. II.
Sanmarth.
elog. l. 4.
Thuan, l. 6.*